Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

amodo de hoc gemmine uitis usq; in die illu cu illud bibam uobcum
nouum in regno patris mei. Et ymno dicto exierunt in montem oli
uetu. Tunc dicit illis iesus. Omnes uos scandalum patiemini me
in ista nocte. Scriptum e enim. Percutiam pastorem. et dispergentur oues
gregis. Postquam autem surrexero. precedam uos in galileam. Respon
dens autem petrus. ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te. ego
nunquam scandalizabor. Ait illi iesus. Amen dico tibi. quia in hac nocte
ante quam gallus cantet ter me negabis. Ait illi petrus. Etiam si
oportuerit me mori tecum. non te negabo. Similiter et omnes discipuli
dixerunt. Tunc uenit iesus cum illis in uillam que dicitur gethsemani.
et dixit discipulis suis. Sedete hic. donec uadam illuc et orem. Et assum
pto petro et duobus filiis zebedei. cepit contristari et mestus esse.
Tunc ait illis iesus. Tristis est anima mea. usq; ad mortem. Sustine
te hic et uigilate mecum. Et progressus paulum. procidit in faciem suam
orans et dicens. Pater mi. si possibile est transeat a me calix iste.
Verumtamen non sicut ego uolo. sed sicut tu. Et uenit ad discipulos. et
inuenit eos dormientes. et dicit petro. Sic non potuistis una hora
uigilare mecum. Vigilate et orate. ut non intretis in temptacionem.
Spiritus quidem promptus est. caro autem infirma. Iterum secundo abiit. et ora
uit dicens. Pater mi. si non potest hic calix transire nisi bibam illum. fi
at uoluntas tua. Et uenit iterum. et inuenit eos dormientes.
Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis. iterum abiit. et
orauit tertio eundem sermonem dicens. Tunc uenit ad discipulos
suos. et dixit illis. Dormite iam. et requiescite. Ecce appropiauit
hora. et filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus.
Ecce appropiauit. qui me tradet. Adhuc ipso loquente. ecce
iudas unus de duodecim uenit. et cum eo turba multa cum gladiis
et fustibus missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem
tradidit eum. dedit illis signum dicens. Quemcumque osculatus fue
ro ipse est. tenete eum. Et continuo accedens ad iesum dixit. Ave
rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi iesus. Amice. ad quid